

Documenta

Litterae Abbatis Generalis Hermenegildi J. Noyens omnibus sodalibus Ordinis Praemonstratensis occasione beatificationis Servi Dei Iacobi Kern Sacerdotis professi canoniae Gerusenae

Sorores et Fratres Carissimi,

Jacobus Franciscus Kern, sacerdos canoniae Gerusenae Ordinis nostri, a Papa Johanne Paulo II die 21^a mensis junii huius anni, Viennae in Austria beatificabitur. Gaudentes gratias agamus Domino Deo nostro, qui confratrem nostrum ad sanctitatem vocavit et eum, per ministerium Ecclesiae, exemplum proponit canoniae Gerusenae, Ordini nostro et omnibus christifidelibus.

Jacobus, natus 1897, alumnus fuit seminarii minoris (1908-1915), miles voluntarius 1915. Gravissime laesus in bello 1916, per longum tempus, revalidationis causa ab exercitu solutus, studiis theologicis inde ab anno 1917 Viennae sese dedicavit, sacerdotium anhelans. Sub ductu directoris spiritualis seminarii se preparavit ut intraret in canoniam Gerusenam, locum «infidelis» confratris praemonstratensis assumpturus. Vestitus in Geras 1920, novitiatum perfecit et 1921 primam professionem emisit. 1922, peractus studiis theologicis, ex speciali indultu ante professionem solemnem sacerdos ordinatus est. Per unum annum tantum potuit exercere ministerium sacerdotale, ingravescente infirmitate ex lesione bellica contracta. Multa gravissima patienter passus, die 20 octobris 1924 mortuus est, a permultis ut «sanctus» veneratus.

Jam ab adolescentia spiritu orationis et devotione erga sanctissimam Eucharistiam excellens, amorem erga Ecclesiam ut membrum huius Mystici Christi Corporis coluit. Sacerdotii servitium super vires exercuit, offerens non solum Christi Sacrificium Eucharisticum, sed et eidem se uniens in vita sua, sacrificans et seipsum cum doloribus et poenis.

Ad beatorum honores publice elevaturus, fidelis, devotus et affabilis servus Dei et Ecclesiae, intercedat Jacobus pro abbazia sua et pro toto Ordine Praemonstratensi. Confirmet nos Dominus invocatione, qua vocavit nos ut professioni quam emisimus digne respondeamus, Deo et Ecclesiae dedicati, vitam viventes conversionis et communionis, fideles erga Evangelium Christi, Regulam S.P.N. Augustini, inspirationem S.P.N. Norberti et traditiones Ordinis nostri: vita communionis, cultus et caritatis, vitam amoris erga Deum et fratres.

Oret pro omnibus nobis Beatus Jacobus Kern.

Romae, in Curia Generalitia, 23.04.1998 † Hermenegild NOYENS
Dominus Praemonstratensis